

D E D I C A T O R I A.

opus rusticum, suo tempore, certo siderum ortu, occasu vè faciendum, præparandum, ferendum, colligendum, ut Virgilius in *Georgicis*:

*Quid faciat lætas segetes: quo sidere terram  
Vertere, Mæcenas, ulmisque adungere vites  
Conveniat:*

Navium usum verè regium, Æquinoctialis, Meridianorum, Helices cum Cynosura cognitio suppeditat, paci, belloque subministrat opem. Regia igitur Astronomiæ consideratio, non nisi Rege vel Augusto digna, prout veterum quoque testificantur monumenta. Aratus Antigono Gonatæ Poliorcetæ filio, Phænomena sua inscripsit, cujus translationi, & C. Julius Cæsar operam dedit. Germanicus Drusi Claudii filius carmen suum Astronomicum Augusto consecravit. Conatum itaque hunc qualem qualem meum, pro ingenii tenuitate, subcivis studiorum momentis, olim auspdatum, nunc demum clarissimorum virorum admonitu posteris publicatum, cui dignè offeram, nec ambigendum nec disquirendum arbitror; præstantissimorum namque hominum benevolentiam, tum in se ipsis, tum in litterarum studiis, expertos summa openiti decet, ne beneficium silentio transeant. Extra vos igitur, patres litterarum & eruditionis patronos, in